

II.

Dominus quartæ domus receptus ex dignitate essentiali ab alterutro luminarium, vel alterius luminaris dispositore, similiter insignem fortunam ex metallicis fodinis decernit. Huius rei quoque exempla quam plurima ideo, sed memorabile est thema viri nobilis & præstantis Domini VVeickmoseri, in quo Luna quartæ domus domina recipitur ex altitudine à Sole cum Venere in secunda constituto. Pater huius cum fodinas infeliciter tractasset, adeo ut etiam ære alieno premeretur, moriens præ dolore animi, ut audio, filio hæreditatem non leuiter obæratam reliquit: quam cum ille adire recusaret exosus metallicis ca ob patris infelicitatem, tamen à Reuerendissimo principe Matthæo Lango Cardinali et Episcopo Salisburgensi, domino suo, ut fodinas à patre colli captas cõtinuaret, promissa sumptuum parte, persuasus est. Cumque iam tractare cepisset, non ita multo post, ea fortuna se obtulit, ut paucis annis incredibilem auri vim ex metallicis collegerit, atque etiam adhuc colligat quotannis, adeo ut diuitijs non inferior sit opulentissimus in tota Germania familijs.

Eadem constitutio est ferè in genitura viri Ornatissimi, Nobilitate generis, Virtute & autoritate præstantis Domini Ioannis Rosenbergeri, Mæcenatis & hospitis mei perpetua fide & pietate dignissimi, cui Saturnus in quarta domo et in altitudine sua constitutus est, Et Mercurius dominus quartæ receptus est à Venere, alterius luminaris gubernatrice, Quæ constitutio ex metallicarum fodinarum cultura insignem fortunam decernit, Sed tamen tardio rem, propterea quod Saturnus eo in loco retrogradus est. Id quod etiam directiones ostendunt, quæ demum insignem successum circa annu ætatis eius 48. 49. 50. & 51. promittunt. Huius viri cum publico honore totius Reip: literariæ mentionem hic facio, ob eximiũ eius amorem & beneuolentiam, qua honesta studia & studiorum cultores humanissimè complectitur, fouet, & omni ratione tuetur & prouehere ex animo conatur, qui me iactatum varijs odiorum procellis ob hæc studia, humanissimè & benignissimè excepit, fouit, defendit contra iniuriam, iuuat consilio et re, ac totum triennium, quod in hoc difficillimo cõdendarum Ephemeridum calculo consumpsi, intra suos parietes liberalissimè sustentauit. Cuius denique impensis ac sumptibus, sane non mediocribus, hoc Ephemeridum opus in lucem ex typographorum officina prodit, cuius si qua est, ut spero, utilitas futura, eam velim non tam mihi quàm inelytæ Rosenbergerorum familiæ gratam haberi, atque acceptam referri ab harum artium studiosis.

DE INFIRMITATIBVS ET morbis corporum.

Valetudo corporis cognoscitur:

1. Ab horoscopo & domino eius.
2. A luminaribus, Sed magis à Luna quàm à Sole.
3. A sexta & domino eius.
4. A planeta vel planetis in sexta domo.

In horum significatorum quolibet duo sunt consideranda: primo an sit fortis vel imbecillus: Secundo an liber sit à malignis radijs Saturni & Martis.

Quod si omnes hi significatores aut saltem eorum maxima pars fuerint fortes & liberi ab oppugnatione hostili maleficarum stellarum, significant corpora sana & valida. qualis est constitutio in themate Ottonis Hervardi patritij Augustani, qui quoad pueritiæ vltimam memoriam recordare potest, non meminit se ægrotu decubuisse. Contrà, si omnes vel maior pars debiles fuerint, & afflicti à maleficis, aut obsessi, corpora reddunt imbecilla & multis morbis obnoxia. Talis fuit constitutio in genesi Illustris viri Domini Antonij de Leua, qui sub auspicijs Caroli V. Imperatoris maximas res bello feliciter gessit, valetudinarius et in lectica circumlatus. Itẽ clarissimi et prudentissimi viri Bilibaldi Pyrkhameri, patritij et Senatoris Norimbergensis, qui domi suæ assiduo ferè decumbens valetudinarius, totam tamen Rempub. Norimbergensem consilio & autoritate sua feliciter administravit.

Et quò